



Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni
magni ad trigesimum ...

Christopherson, John

[Köln], 1569

Quae Hyppolyti monumenta ad nos peruenerunt. Cap. XVI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29861

EVSEBII HISTORIAE

Quae Hippolyti monumenta ad nos peruenerunt.

CAP. XVI.

Vide Hieronymo in catalogo. & Lucidum de tempore.
Illo ipso tempore Hippolitus præter alios plerosque commentarios, quos componebat, opus de Paschate conscripsit: in quo & temporum seriem explanat, & canonem quædam sedecim annorum de Paschate ponit, & tempora solum describit ad primum annum imperatoris Alexandri. Cætera eius scripta, quæ ad nos uenerunt, sunt hæc. In sex dies commentarij. In ea, quæ sex dies sequuntur. Contra Marcionem liber. In Canticum Canticorum explanatio. In partes aliquot Ezechielis exposito. De Paschate liber. Contra omnes hæreses liber. Extant præterea nonnulla alia eius monumenta, quæ apud multos conseruata inuenias.

De Origenis studio, & quod ecclesiastica dignitate dignus habitus fuerit.

CAP. XVII.

EX eo tempore Origenes commentarios in sacras literas scribere exorsus est: Ambrosio eum ad eam rem impellente maxime. Qui non solum infinitis prope uerborum ad persuadendum accommodatorum hortationibus, sed copiosissimis subsidiis ad eiusmodi operam maximè necessariis illum ad hoc studij genus incitauit. Nam celeres scribæ, plures quàm septem ei distanti præsto aderant, qui præstitutis temporibus scribendi laborem uicissim susciperent. Librarii non pauciores, unà cum puellis, quæ ad scite & concinne scribendum erant probe exercitatæ. Quibus omnibus Ambrosius rerum copiam affatim suppeditabat necessariarum. Quinetiam in hac diuini & sacri eloquii commentatione, ac studio, uix dici potest, quâ propensam operam ei contulerit, qua illum uel maximè ad commentariorum confectioem incenderet. Dum ista hoc modo geruntur, Urbano, qui Romanæ ecclesiæ Pontificatum gesserat, successit Pontianus. Antiochenæ ecclesiæ post Philetum, ministeriū capessit Zebinus. Quibus temporibus, Origenes, necessitate negotii cuiusdam ecclesiastici